Et dixit aseneth extensa manu
apprehendens pallium eius domine
precor te sede modo paululum super
lectum istum quod mundum est et
incontaminatum et vir aut femina
non sedit aliquando super illud. et
preparabo tibi mensam et afferam
tibi panem et supponam super
eam et manducabis. et afferam ex
cellario meo vinum vetus et
suave olens et bibes. et post ea
prosequeris viam tuam. Dixitque ei
angelus affer cito. Et festinavit
aseneth et apposuit ei mensam
novam et processit deferre ei pa-
nem. Et dixit ei angelus. fer mihi
et favum mellis. et contristata est
aseneth quia non erat in cellario
favus mellis. et stetit. Dixitque
ei angelus. Quid stas. Illa vero
ait. Mittam puerulum in agrum
hereditatis mee quia prope est. et defert
cito favum mellis. et preparabo
domine. Et ait dixit ei. Intra in
cellarium tuum et invenies favum
mellis super mensam tuam. et tolle
illud. et affer huc. Et dixit ase-
neth. Domine in cellario meo favus
mellis non est. Et dixit ei angelus
Intra et invenies. et intravit
aseneth in cellarium suum et vidit
super mensam iacentem favum
mellis magnum et candidum sicut
nix. et omnino mel mundum. et
odor eius dulcis. et admirata
est aseneth et ait in se ipsa. Pu-
tas non ex favo isto comedit ho-
mo iste quia odor eius sicut spiritum

oris hominis huius est. Et accepit
aseneth favum illum et attulit et
apposuit eum angelo dei. Dixitque
ei angelus. Et quid dixisti. non est
in promptuario meo favus mellis
et ecce intulisti. Et timuit aseneth
et ait. Domine non habui unquam
favum in cellario meo aliquando. sed
tu dixisti ore tuo et factum est.
Odor enim eius ut spiritum oris
tui est. Et subrisit angelus super in-
telligentiam aseneth. vocavitque eam
ad se ipsum. Extenditque manum
suam dexteram. et tetigit caput eius.
Et extimuit aseneth et inclinavit
oculos suos in eum cum reverentia.
Et ait angelus ei. Beata es tu
quia dimisisti vana idola et
credidisti deo vivo. et beati adhe-
rentes domino deo in penitentia.
quia gaudent de hoc favo quem
fecerunt apes paradisi. ubi
dei de rore rosarum in paradiso
et ex hoc gaudent angeli dei
quia favus est iste. et omnes qui
manducaverint ex isto. non morientur
in secula seculorum. Et extendit
manum suam dexteram et confregit
de melle partem minimam et
comedit ipse ex eo et reliquum
posuit manu sua in os aseneth
dixitque ei. Ecce manducasti panem
vite. et uncta es crismate sancto.
et ab hodierno die carnes tue
renovabuntur et ossa tua sana-
buntur. et virtus tua erit inde-